

tius, at potest præponere bonum minus majori bono, si bonum minus pro convenientiori habeatur, juxta notissimum illud poetæ :

Video meliora proboque,
Deteriora sequor.

Voluntas enim, si intellectum moveat ad considerandum potius bonum in se minus quàm bonum objectivè majus, adduci poterit ut bonum minus sibi convenientius esse putet atque amplectatur. Hoc autem facillè fieri intelligetur, si attendatur nullum bonum, his in terris, omnino perfectum esse, atque majora bona, ob appetitùs sensitivi inclinationem, nobis aut ardua nimium, aut minùs convenientia videri.

Potest etiam voluntas inter duo bona æqualia eligere; tum quia rarò admodum accidit duo bona omni ex parte æqualia esse, aut nobis videri, et persæpe, saltem attentius intellectu considerante, ratio quædam ad unum præ alio determinat; tum quia, etiamsi perfecta fingatur duorum bonorum æqualitas, dictat ratio melius esse unum eligere, quàm nullum.

In summâ, ut in sequentis quæstionis disputatione ostendetur, sponte quidem intellectus præire solet voluntati, at voluntas intellectum movere et in suas partes trahere callidè novit, sicque prævenire judicium.

Cæterùm, non tantùm ratio non minuit libertatem, quin etiam voluntas, et ideo libertas, eam cum ratione ipsâ proportionem habere videtur, ut cum eâ minuatur vel crescat. Quo enim minor est rationis vis aut advertentia, eo minus est imperium voluntatis, ut in infantibus, juvenibus, mulieribus generatim cernere est. Econtrâ quò magis elucet ratio aut intendit se reflexio, eo etiam magis voluntas instinctum ac passiones continet suumque declarat principatum.

§ VII. — De influxu intellectùs in voluntatem.

159. *Opiniones.* Omnes philosophi concedunt esse aliquem influxum intellectùs in voluntatem, sed in illo determinando non conveniunt.

Alii enim docent voluntatem, etsi agere nequeat sine prævio judicio intellectùs, posse tamen agere contra *ultimum* intellectùs *practici* judicium, quo pronuntiatur aliquid esse *hic et nunc* faciendum, vel non faciendum. Quo in casu, voluntas seipsam dæcem sibi constituit; ita Scotus, Suarezius et multi recentes.

Alii autem asserunt voluntatem nec sine judicio quodam practico agere posse, nec posse non sequi ultimum intellectùs *practici* judicium; ita S. Thomas, S. Bonaventura nobilioresque scholastici, et inter recentes Leibnitzius ac Bellarminus.

160. *Assertio:* *Voluntas sequitur semper aliquod judicium practicum, nec potest agere contra ultimum judicium practicum.*

PROB. 1^a PARS contra Suarezium, qui putavit voluntatem ad agendum moveri posse judicio merè speculativo.

Voluntas ad agendum determinari nequit a judicio quod ad agendum non provocat, sed in merâ veri aut boni *contemplatione* sistit. Atqui tale est judicium speculativum; quod tantùm dicit aliquid esse verum aut falsum, bonum aut malum, quin illud ut conveniens vel non conveniens subjecto proponat, aut decernat esse faciendum, vel omittendum.

PROB. 2^a PARS. — 1^o Voluntas agere nequit sine motivo, nisi desinat esse potentia rationalis. Porrò, si ageret contra ultimum intellectùs *practici* judicium, videretur agere sine motivo. Nam motivum actionis alicujus non potest esse aliud quàm id quod ultimò a ratione dictatur, sive id quod ultimò movet.

2^o Et verò, vel voluntas sequitur ultimum intellectùs *practici* judicium, vel judicium intellectùs non sequitur, at solum *beneplacitum* suum, juxta Juvenalis effatum :

Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Sed *posterius* dici nequit. Nam voluntas est, ut aiunt, facultas *cæca*, quæ se per seipsam *dirigere* nequit, sed aliquod intellectùs dictamen sequitur, sicut appetitus sensitivus sequitur cognitionem sensitivam. Ergo beneplacitum istud vo-

luntatis, quantumvis deordinatum censeatur, ratione cognoscatur et dictetur oportet, quatenus agenti magis *conveniens*. Porro, si res ita se habet, beneplacitum illud *procedit* ab ultimo intellectus practici iudicio, et ipsum sequitur voluntas.

Dixi voluntatem agere non posse contra ultimum practici intellectus iudicium; quia in *deliberationibus* quæ actionem præcedunt, præsertim si magni momenti sit et ardua, multa solent iudicia componi, et quandoque prima repudiantur, quæ prius placuerant, et protrahitur deliberatio, nunc in aliquam, nunc in alteram partem propendens. Nihilominus ad actionem tandem deveniendum est, voluntasque sese determinat ad id quod ratio magis *convenire supremo* iudicio decernit.

161. Libertatis *radix* nititur ergo (1) in ipsâ ratione, « quatenus iudicium est in potestate iudicantis, secundum « quod potest de suo iudicio iudicare, » per reflexionem, et pro voluntatis libitu intellectum movere ad hoc potiusquam istud considerandum, ad alium respectum rei potiusquam alium pensandum. Itaque ultimum iudicium ita profertur ab intellectu, ut aliter proferri potuisset, si placuisset voluntati, cujus est *attentionem consiliumque* animi *regere*, atque ad hæc *applicare* quæ sibi præoptantur. Si autem ultimum iudicium a voluntatis vel *directione* vel *dispositione* revera pendet, sequitur ipsam frui libertate et *autonomiâ* (2). Res ita se habet; unde S. Bonaventura: « Ex hoc « non sequitur

(1) « *Totius libertatis radix* est in ratione constituta; unde secundum quod aliquid se habet ad rationem, sic se habet ad liberum arbitrium. » (*Qq. dispp. de Verit.*, q. 24, a. 2, c). — « Radix libertatis est voluntas sicut *subjectum*, sed sicut *causa* est ratio; ex hoc enim voluntas liberè potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas conceptiones boni. Et ideo philosophi definiunt liberum arbitrium quod est liberum de ratione iudicium. » (1^a 2^a, q. 17, a. 1, ad 2).

(2) S. Thomas triplici ex causâ explicat quòd « voluntas feratur in id quod sibi offertur magis secundum hanc particularem conditionem quam secundum aliam. Uno quidem modo, in quantum una *præponderat*, et tunc movetur voluntas secundum rationem; puta cum homo præligit id est quod utile sanitati, eo quòd est utile voluntati. — Alio verò modo, in quantum cogitat de unâ particulari *circumstantiâ*, et non de aliâ; et hoc contingit plerumque per aliquam *occasionem* exhibitam vel ab interiori,

quòd voluntas sequatur principaliter actum « *alienum*, imò potius actum alienum *trahit ad proprium* ». (In lib. II *Sent.* dist 25, p. 1, a. 1).

162. *Obj.* 1^o — Voluntas libera dicitur ex eo quòd influit in determinationem ultimi iudicii. Sed hoc non facit, nisi præviâ intellectus consultatione, quæ ipsa imperari debet a voluntate, et sic infinita series consultationum ac volitionum inducitur, quod repugnat.

R. Neg. min. et ejus probationem. Nam 1^o, ut suprâ diximus, primus voluntatis actus non supponit præviâ consultationem intellectus, cum voluntas ad eum a Deo moveatur. — 2^o Primus rationis actus non pendet a voluntatis imperio, sed *sponte* elicitur. Ad rem D. Thomas: « Non « oportet procedere in infinitum, *sed statur in intellectu*, « sicut in primo. Omnem enim voluntatis motum necesse est « quòd præcedat apprehensio, sed non omnem apprehensionem præcedit motus voluntatis, sed principium consiliandi et intelligendi est aliquod intellectivum principium « altius intellectu nostro, quod est Deus, ut Aristoteles dicit « in 8^o Ethicorum » (1) (1^a, q. 82, a. 4, ad 3).

vel ab exteriori, ut ei talis cogitatio occurrat. — Tertio verò modo contingit ex *dispositione* hominis, quia *qualis unusquisque est, talis finis videtur ei*. Unde aliter movetur ad aliquid voluntas irati, et voluntas quieti, quia non idem est *conveniens* utrique... Si autem talis dispositio... sit subiacens voluntati, puta, cum aliquid disponitur per habitum vel passionem ad hoc quod sibi videatur aliquid bonum vel malum, in hoc particulari, non ex necessitate movetur voluntas, quia poterit hanc dispositionem remove, ut sibi non videatur aliquid sic. » (*Qq. dispp. de Malo*, q. 6, a. 1, c).

(1) Sed adversarii subtilius hoc modo argumentantur: volitio libera imperans intellectui ut hæc magis quam illa consideret, ne consideret ulterius, hoc magis quam illud iudicium ferat, hæc, inquam, volitio libera vel præsupponit iudicium ultimum liberum, vel non. — *Si prius* et hoc iudicium liberum non erit nisi per volitionem liberam imperantem, de quâ eadem movebitur quæstio, et sic demum induci videtur regressus in infinitum. — *Si posterius*, ergo aliqua volitio libera non præsupponit liberum iudicium ultimum. Ergo falsum est voluntatem semper sequi ultimum iudicium practicum.

Resp.: Necessarium non est ut ista volitio aliud iudicium liberum præsupponat, nec tamen est independens a iudicio practico intellectus.

Hæc enim volitio potest esse idem actus voluntatis quem dirigit ulti-

163. *Obj.* 2° — Testis est conscientia nos aliquando agere contra id quod intellectus docet, v. g. quoties peccamus. Ergo voluntas haud semper ultimum iudicium sequitur.

R. Dist. ant., neg. conseq. — Aliquando agimus contra id quod conscientia bonum *in se* esse asserit, *conc.*; contra id quod bonum et conveniens *nobis* ultimo iudicio decernit, *neg.* (1). Appetitus quandoque videtur non sequi iudicium, quia non circa idem objectum versatur; appetitus enim fertur ad aliquid *particulare*, dum iudicium nonnunquam pronuntiat de aliquo *universali*, quod appetitui contrarium esse potest. « Sed iudicium de *hoc* particulari operabili, ut *nunc*, « ait D. Thomas, *nunquam potest esse contrarium appetitui.* « Qui enim vult fornicari, quamvis sciat in universali fornicationem malum esse, tamen iudicat sibi, ut tunc, bonum

num iudicium practicum, ob *mutuam* causalitatem in *diverso* genere. Iudicium enim ultimum *dirigit* voluntatem ut sic determinatè eligat, et voluntas *applicat* intellectum ut determinatè sic iudicet. Neque ullum inconveniens est quòd causæ sint ad invicem causæ, in genere diverso. Porro iudicium in genere causæ *finalis* dirigit voluntatem, et voluntas in genere causæ *efficientis* applicat intellectum. Movere voluntatem ad suum exercitium in genere causæ finalis, idem est ac movere quoad specificationem.

Inst. : Non concipitur mutua causalitas inter res quæ non sunt causæ nisi quatenus existunt; nam, ex unâ parte, iudicium dirigens actum voluntatis est prius, quatenus dirigit, non autem iudicet, nisi ut existens; ex alterâ parte, actus voluntatis ex iudicio secutus, ad illud efficienter concurrat; sed causa efficiens non concurrat, nisi ut existens.

Resp. : Mutua causalitas intercedens inter ultimum iudicium practicum et actum voluntatis, præsupponit existentiam actus voluntatis, ut iste actus causare intelligatur, non autem iudicii dirigentis. Est quidem causæ *efficientis* causare, prout est in actu existentis; at iudicium, cum solum concurrat in genere causæ *finalis*, non petit existentiam ut causare intelligatur, imò potius a causâ efficiente pendet causalitatis ejus exercitium. Illud tantum iudicium præexistere debet quod nullo modo pendet a voluntate, ut contingit in iudicio sive indifferenti, sive dirigente primum actum voluntatis. De his verum est, quòd sicut intellectus est prior in existendo quàm voluntas, ita actus intellectus est prior in existendo quàm actus voluntatis. Aliter autem dicendum est de iudicio elicitò dependente ab actu voluntatis quem dirigit. Etsi dirigat, non debet præintelligi existens, ut causare intelligatur. Cf. *Salmanic.*, Tract. VII, disp. 10, n. 270 et seq., et *Compend. Salm.*, Tract. V, disp. 1, Dub. 2, § 5.

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, c. 1, a. 1.

« esse fornicationis actum, et sub specie boni ipsum eligit. » (*Qq. dispp. de Verit.*, q. 24, a. 2, c).

§ VIII. — De affectu appetitûs rationalis et ejus comparatione cum passionibus.

I. *Notio affectûs* (le sentiment).

164. *Opinio recentium.* Recentes philosophi non unam sensûs definitionem proferunt, et videntur diversa permiscere.

Nam 1° quandoque sensûs nomine intelligunt sensum quemdam omnibus hominibus communem, vi cujus omnes de veritatibus primariis et præsertim moralibus, nullo prævio examine, conveniunt, ipso naturæ sensu necessariò præmovente.

2° Generatim affectum vocant certam inclinationem a sensibilitate *internâ*, ut dicunt, vel *moralis* enascentem. Porro trifariam dividunt istas inclinationes, nimirum 1° in affectiones *personales*, v. g. amor sui, amor vitæ, amor proprietatis, independentiæ, excellentiæ, honoris, potestatis; 2° in affectiones *sociales*, v. g. amor familiæ, sympathia, benevolentia, humanitas, amicitia, vel contra invidia, rivalitas, æmulatio, instinctus imitationis; 3° in affectiones *ideales* seu *rationales*, v. g. sensus seu amor veri, pulchri, boni, sensus religiosus, sensus infiniti.

165. *Verior definitio.* — Sensus merito definiri potest *emotio grata vel ingrata, quæ afficit appetitum rationalem in prosecutione boni sui* (Cf. S. Francisc. Sales., *Traité de l'am. de Dieu*, l. I, c. 5).

Dicitur 1° *emotio grata vel ingrata*, prout habetur bonum, vel accidit malum.

Dicitur 2° *quæ afficit appetitum*; hinc patet eos errare qui sensum referunt ad potentiam cognoscitivam; nam essentialiter ad appetitum pertinet, et oritur ex cognitione, nedum eam generet sitve criterium quo verum assequamur. — Accedit quòd periculis scatet modus iste loquendi quo veritates quæ ad res divinas vel morales spectant, non rationi adscri-

buntur, sed recensentur inter mera sensibilitatis phænomena. Cùm enim sensus *mobilis* sit ac *varius* pro variis hominibus, pronum erit inferre, ut inferunt hodiè multi, ideas in ordine religioso vel morali comprehensas, pendere a propriâ cujusque constitutione, et circa eas posse quemlibet sentire prout pectus dictaverit.

Cæterùm, sensus ille communis vi cujus omnes homines impelluntur ad veritates primarias admittendas, non differt ab intellectu aut ratione, ut ostendimus in Logicâ (n. 104).

Dicitur 3^o quæ afficit appetitum rationalem; hinc sequitur eos errare qui sensum confundunt cum affectibus appetitûs sensitivi aut passionibus. Etenim passiones referuntur ad bonum sensibile, utpote sequuntur perceptionem sensilem, dum sensus procedit ex perceptione intellectuali, et proin spectat ad bonum rationale.

Dicitur 4^o in prosecutione boni sui, nam appetitus rationalis sponte petit ac prosequitur proprium bonum. Sensus itaque non præsefert emotionem merè *passivam*, ut supponunt multi recentes, sed includit etiam aliquid activi, cùm sit affectio appetitus rationalis, quatenus bonum suum prosequentis.

166. II. Comparatio affectûs cum passionibus. Cum illis duplici modo convenit, sed tripliciter differt. Sensus quidem, ut passio, ad appetitum refertur, et emotionem quamdam adjunctam habet. — At ab eâ differt ex parte *objecti, appetitûs et emotionis*; passio enim ad bonum sensibile tendit, inest appetitui sensitivo, et quamdam trahit organorum transmutationem; sensus autem ex perceptione boni rationalis oritur, appetitui rationali subest, emotionemque inducit, cui *per se* non adjungitur organorum transmutatio, ut apertè declarat S. Thomas: « In actu appetitûs intellectivi non requiritur aliqua transmutatio corporalis, quia hujusmodi appetitus non est virtus alicujus organi. » (1^a 2^æ, q. 22, a. 3, c).

Concedimus tamen ex *vehementi* appetitûs rationalis emotione sequi posse, ac revera sequi sæpiùs quamdam etiam

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 2^e part., c. 2, a. 3, § 2, n. 3.

organorum transmutationem; et ratio sumenda est ex colligatione intimâ potentiarum omnium in animâ eâdem; unde, si pars animæ superior vehementi gaudio vel tristitiâ afficiatur, sensus ille redundat in partem inferiorem, ut in vultu hominis præcipuè cernere licet.

167. Unio affectus cum passione. Non rarò *concurrunt* simul appetitus sensitivus et rationalis in alicujus boni amore, vel mali odio; v. g. in amore quo mater natum suum prosequitur, vel in affectione quâ quis vindictam meritò appetit, et sic de aliis non paucis affectionibus.

168. Quod attinet ad *divisionem* sensuum, similis est ipsi passionum divisioni, in undecim principales; quia quos in appetitu sensitivo motus excitat bonum sensibile, eos excitat bonum spirituale in appetitu rationali. Itaque varii sensus mentis referri debent ad amorem et odium, desiderium et fugam, delectationem et tristitiam, spem et desperationem, audaciam, timorem et iram.

CAPUT V

DE POTENTIA MOTRICE (1)

169. Postquam rem aliquam extrinsecam percepimus, juvat ad eam accedere, si jucunda sit, recedere autem, si injucunda. Potentia igitur cui subsunt motus locales, *immediatè* appetitum, *mediatè* cognitionem sequitur, sicque *terminat* activitatis nostræ ambitum.

170. Assertio: *Facultas motrix est facultas organica specialis.*

PROB. 1^a PARS, quia hæc facultas terminatur ad objectum

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 2^e part., c. 1, a. 2, § 3, et c. 2, a. 2, § 3.